



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Historico-Theologicae In quibus expenditur an
verè dicatur: Lovanienses sunt condemnati per Decretum
SS. Domini Nostri Innocentii XI. Proscribentis LXV.
Articulos?**

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1683?]

urn:nbn:de:hbz:466:1-40472



Th. 2170.

G. IV

3.

123

123456789

THE PEOPLE MOBILE

THE PEOPLE MOBILE

INDIA

INDIA

INDIA

INDIA

INDIA

INDIA

INDIA

INDIA

INDIA


INDIA

INDIA

INDIA

INDIA

INDIA



T H E S E S
HISTORICO-THEOLOGICÆ

In quibus expenditur an verè dicatur: Lova-
nienses sunt condemnati per Decretum
SS. Domini Nostri

INNOCENTII XI.
PROSCRIBENTIS LXV. ARTICULOS?

Q U A S

P R Æ S I D E

EXIMIO VIRO D. AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

L Y R A N O,

D E F E N D E T

NICOLAUS CORNELISSENS Ex GILS

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis die 7. Octobris 1683.



L O V A N I I,
Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.

T H E S E
HISTORICO-THEOLOGICA

In quibus expenditur an veré dicantur : Lov-
nienfes sunt condemnati per Decretum
SS. Domini Nostri

INNOCENTII XI.
PROSCRIBENTIS LXV. ARTICULOS?

EXAMINATO A M. MAGISTRO WOSTRO
GUMMARIO HUYGENS

LEIDEN
NICOLAUS CORNELIUSSENUS EX GUS



LEIDEN
PROBANTUR PER HOC LIBRARIUM

CONCLUSIO PRIMA.

Proponitur status & origo quaestionis.



Quaestio quam in hisce Thesibus examinandam suscipimus, est, an per Decretum SS. D. N. Innocentii XI. datum 2. Martii 1679. Theologi Lovanienses, ut à non paucis creditur, reverà sint condemnati? Pro quo notandum quòd *partibus iudicem quempiam utrimque informantibus condemnata dicatur pars illa, contra quam sententia fertur*, id est, condemnata dicitur pars quae agebat ut oppositum judicaretur. Quare in causa 65. Propositionum quas condemnavit Innocentius XI. condemnati dicendi sunt qui apud suam sanctitatem egerunt ne propositiones illae condemnarentur. Adeoque ab opposito, ut aiunt, non possunt dici condemnati qui, ut illae propositiones condemnarentur omnimodè satagebant. Quarendum ergò an Lovanienses in nupera ad S. Sedem Deputatione egerint ne propositiones illae condemnarentur, an verò laboraverint ut condemnarentur. Quaestionis hujus occasionem dederunt Lovaniensium Adversarii, dum sub illud tempus quo S. Sedes in negotio 65. Propositionum occupabatur, & potissimum dum illae propositiones jam erant condemnatae, talia de Lovaniensibus, praecipuè per Belgium & Hispaniam sparserunt, ut à multis Theologiae imperitis in Belgio, in Hispania verò à quibusdam Academicis creditum sit, quod moderni Lovanienses aut haeretici sint, aut saltem de haeresi admodum suspecti, & specialiter quòd Romae per antedictum Decretum 65. Propositionum sint condemnati, atque à notabilioribus muniis Theologicis & Ecclesiasticis posthac ob malam doctrinam prorsus sint excludendi.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ex factis quibusdam qua negari non possunt, quaestio proposita deciditur.

Adversarii nec possunt, nec unquam audebunt negare, saltem palam, quòd 65. Propositiones à SS. D. N. Innocentio XI. sint condemnatae ad petitionem & sollicitationem Deputatorum Facultatis Theologicae Lovaniensis. Non possunt etiam, nec audebunt negare, quòd Facultas Theologica Lovaniensis Deputatos suos cum in finem Romam ablegaverit, & unà ut praecipua ac maximè controversa doctrinae suae capita ibidem exhiberet. Igitur Doctores Lovanienses non sunt per Decretum 65. Propositionum condemnati, cum ipsi non contra, sed pro illarum condemnatione ad Urbem accesserint, nec ad illam condemnationem avertendam, sed pro illa impetranda per biennium in Urbe permansisse notissimum sit. Is namque, ut ex ante data definitione patet, *dicendus est condemnatus, contra quem, non verò secundum quem judicatum est*. Praeterea non possunt quoque negare Adversarii (nam res nimium certa, ac multis nimium nota est) quòd ipsi primo anno quo Lovanienses condemnationem illam sollicitabant, multis modis eam fuerint conati impedire: ex quo iterum conficitur quòd ipsi Adversarii sint condemnati; nam *condemnatus dicendus est iste, contra quem, non verò secundum quem judicatum est*. Denique negare rursus non possunt, quin ubi sciverunt inter condemnatos nullum esse articulum Scholae Lovaniensis, perierint instantèr ut doctrina Lovaniensis iterum examini subiceretur, in hoc unice collimantes, ut in secundo examine saltem unus Scholae Lovaniensis articulus condemnaretur. Concesso ac peracto iterato per integrum ferè annum examine, nullius rursus Lovaniensis articuli proscriptionem extorquere potuerunt. Quomodo ergò adversarii jam per Belgium & Hispaniam spargunt,

quod Lovanienses per Decretum 65. propositionum sint condemnati; cum idè petierint iteratum doctrinæ Lovaniensis examen, quia intellexerant per Decretum 65. propositionum nihil in eorum doctrinâ esse reprehensum?

CONCLUSIO TERTIA.

Ex famoso Specimine, & Memoriali quodam Hispanico per Adversarios editis, probatur quod Lovanienses non sint condemnati.

DUm Lovaniensium Deputati in Urbe agebant, Adversarii librum quemdam (*specimen* vocant *Doctrina Theologica per Belgium manantis ex Academia Lovaniensi*) ediderunt, pro accuratissimâ, ut aiunt, informatione S. Sedis & Romanæ Curiae. Libri hujus parte 4. 5. & 6. nihil non agunt, ut à propositionibus quas Lovanienses exhibebant condemnandas, Apostolicæ Sedis proscriptionem avertere quoquo modo valeant. Parte namque 4. §. 2. sic aiunt; *Ex propositionibus undecim & centum, quas representarunt S. Sedi ut corruptelas Theologiae moralis in Belgio, & questionem continentes unde extiterint in Belgio contentiones, acerbitates, scandala, perturbationes, &c. per paucas invenias quae sint in Belgio ullius nominis, non paucas verò quas nemo in Belgio Theologus tradidit, quod assequi licuerit: quasdam excerpere ex Thesis Scholasticis semel alicubi defensis, quae simul defensa, simul oblivioni tradita fuerunt: atque haec propositiones vel futiles sunt & casum continentes impossibilem, vel ad praxim prorsus inutiles, & meram speculationem afferentes, vel denique communissimam continentes Theologorum doctrinam. Alias propositiones in Belgio traditas Thesis librisve representant S. Sedi, vel fœdè truncatas, vel inhumanè avulsas à suo contextu. Reliquas propositiones accersiverunt ex Hispania, Gallia, Germania, Italia, Sicilia. Afferunt hic Adversarii ex propositionibus illis perpaucas inveniri, quae sint in Belgio ullius nominis. Expendemus postea an Lovanienses pro dogmatum scandalis à solo Belgio avertendis laborare debuerint: nunc solum quæritur quomodò dicantur condemnati per Decretum 65. propositionum, si ex illis perpaucas invenias quae sint in Belgio alicujus notæ? Nam si Lovanienses istas propositiones tenuerint, fieri non potest ut illæ non fuerint in Belgio alicujus notæ. Secundò afferunt in verbis citatis: *Atque haec propositiones vel futiles sunt, & casum continentes impossibilem, vel ad praxim prorsus inutiles, & meram speculationem afferentes, vel denique communissimam continentes Theologorum doctrinam.* Examinabimus loco opportuno an hæc dicta consistant cum verbis SS. Domini nostri quibus 65. propositiones damnat & prohibet ut nimirum tanquam scandalosas & in praxi perniciosas. Quod aiunt reliquas propositiones accersitas esse ex Hispania, Gallia, Germania, Italia, Sicilia, nihil omninò obstat quo minùs condemnentur, etiam propter contentiones, acerbitates, scandala, &c. in Belgio excitata: quia nihil notius, quàm quotidie in Belgio legi Casuistas, ut vocant, & Scholasticos Hispanos, Gallos, Germanos, Italos, Siculos, idiomate Latino tam alibi, quam etiam hic in Belgio editos. Non minus futilibus, & penè per omnia iisdem rationibus conantur dictarum propositionum condemnationem interventu autoritatis Regiæ impedire in Memoriali quodam Hispanicè edito, Madriti Catholicæ suæ Majestati sub idem illud tempus exhibito, quo Specimen memoratum Romæ suæ Sanctitati porrectum fuit. In hoc memoriali insuper leguntur sequentia: *Ex hac ultima delegatione (Lovaniensium scilicet ad S. Sedem) exitum lamentabilem prudentes verentur: primò quòd soli Iansenista Roma benè audiunt pro se & contra eorum Adversarios..... 2. Esto, nemo dubitet, quin ritè examinatis Moralium libris multe ex eorum propositionibus censuram mereantur: quod hoc tamen ad petitionem & sollicitationem istorum Doctorum Lovaniensium decernatur, novum erit gravissimorum incommodorum seminarium.* Ita illi, part. 2. §. 3. dicti Memorialis. Sufficiebat ergo Adversariis nostris, ut propositiones*

nes

nes scandalosæ & in praxi perniciosæ non condemnarentur, quod condemnatio petebatur sollicitabatur à Doctoribus Lovaniensibus. Colliget hinc Lector quò locò apud Adversarios nostros sit fama Lovaniensium. Colliget 2. quod Lovanienses non immeritò petierint proscribi hanc, *Quid-ni non-nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere*: Item hanc, quâ omne etiam veniale peccatum abstergi putabatur: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio sine juret se non fecisse aliquid quod reverâ fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus*. Redeo ad tertiâ hujus Conclusionis scopum, qui erat ex dicto Specimine, ac memoriali Hispanico ostendere (quod ex allegatis evidenter patet) quod Lovanienses pro 65. propositionum condemnatione Romæ sollicitaverint, quodque Adversarii eam omnimodè impedire conati sint; adeoque dum S. Sedes Apostolica propositiones illas condemnavit, non secundum Adversarios sed secundum Lovanienses judicavit, ac proindè Lovanienses non sunt condemnati, sed Adversarii: *Is namque dicendus est condemnatus contra quem, non verò ille secundum quem judicatum est.*

CONCLUSIO QUARTA.

Frustrâ contra dicta allegantur quadam ex Thesibus pro Baccalaureatûs aut Licentia gradu adipiscendo Lovanii defensis.

Pro suscepto à nobis argumento, nequidem examinandum putamus, an aliquæ, an nullæ ex 65. propositionibus in juvenum pro Baccalaureatûs aut licentiæ gradu respondentium Theses, Doctore aliquo præsidente, olim aut antè hæc defensas irrepererint. Concedamus ergò adversariis ita accidisse: id est, existitisse tempus, quo laxitatum patroni, per libros suos tanto numero editos tantum nocuerunt fidelibus, ut de scandalosâ illa ac perniciosâ lue etiam ipsi Academiæ Lovaniensî aliquid communicaverint. Quo jure idcirco per Decretum 65. propositionum condemnati dicuntur Lovanienses; cum hi contractam infectionem, sive errores sibi antehâc communicatos, per libros subindè, sæpissimè per Theses, & potissimum per solemnem illam ad Urbem contra laxitates deputationem adeò publicè retractarint? Nonnè potiori jure etiam S. Paulum non ab uno vel paucis, sed ab omnibus Judæorum dogmatibus conversum, dicent in primo Jerosolymorum Concilio esse condemnatum? Non solum potiori, sed omni prorsùs jure, si consequenter loqui velint, fateri debent Adversarii se esse condemnatos; omnes namque 65. propositiones & plures aliæ quæ propter laxitatem tunc exhibebantur condemnandæ, fuerunt per Deputatos Lovanienses S. Sedi in ipsis Adversariorum libris, Thesibus publicis, & scriptis ostensæ (comprehendo sub nomine Adversariorum omnem illum qui Lovaniensium doctrinæ, aut cui Lovaniensium doctrina adversatur) præterea Adversarii sua illa laxitatum dogmata non retractarunt, nec pro illorum condemnatione laborarunt, quemadmodum Lovanienses, sed contraria potius omnia egerunt. Denique ad hominem, ut aiunt, loquor, si 65. propositiones contineant doctrinam Lovaniensium, cur Adversarii non petierunt illas propositiones condemnari? Cur condemnationem tanto molimine etiam positivè conati sunt impedire? Notum quippè est quod apud Adversarios doctrina Lovaniensium non eo loco sit, ut talem tantumque favorem, ab ipsis expectare possit.

CON.

CONCLUSIO QUINTA.

Ex ipsâ 65. Propositionum naturâ evincitur intentum.

Quorquot de Lovaniensium doctrinâ ritè sunt informati, norunt Lovaniensibus tria esse præcipua Theologiæ principia. De gratia scilicet per se efficaci in statu naturæ lapsæ, de lege æterna velut morum regulâ, ut propterea Lovanienses negent per ignorantiam legis naturalis à peccato omninò excusari agentem contrâ illam: negant similiter probabilitatem posse statui regulam morum. Tertium Lovaniensium principium est, quod Deus debeat esse finis ultimus cujullibet actionis & cujullibet agentis, prout latius ostensum in Thesisibus quas de singulis principiis edidimus, & compendiosè in conclus. 1. Thesisum ad reliquas pertinentium. Hæc de Lovaniensium principiis, quorum nullum ostendes quidquam influere in 65. propositiones, aut in aliquas earum, quia potius contrâ ostendi potest, saltem de multis ex illis propositionibus, quod illæ præsupponant principia Lovaniensium principiis è diametro opposita. Vis argumenti in hoc consistit: Sicut aquæ fontanæ sapere solent primam Scaturiginem, ita conclusiones Theologicæ sua principia; nihil verò de indole aut characteribus principiorum Lovaniensium reperitur in 65. propositionibus. En aliud argumentum quod non soli docti, sed etiam in rebus Theologicis prorsùs imperiti palpare possint. Norunt omnes quod Theologi Lovanienses nusquàm ab Adversariis accusentur de nimia laxitate, sed de intolerabili, ut aiunt, rigore: jam verò doctis pariter ac indoctis notissimum est, nullam 65. propositionum propter nimium rigorem, sed omnes ad unam usque propter intolerabilem laxitatem tanquam scandalosas & in praxi perniciosas condemnatas esse. Quomodo ergò Lovanienses in illis dicuntur condemnati?

CONCLUSIO SEXTA.

Qua dicta sunt generatim, ostenduntur singulatim circâ 1. 2. 3. & 4. Propositiones spectantes ad doctrinam de usu probabilium.

Harum Thesisum brevitatis non permittit, ut singulatim de qualibet condemnatâ, sed ut de aliquibus tantum hic agamus. Porrò in singulis tria forent ostendenda; nimirum earum accusatio per Lovanienses, conatus contrarius Adversariorum, & propositionum natura sive essentia; tria, inquam, illa ostendenda forent, nisi per anteriores conclusiones jam satis constaret de primo, & quamvis etiam de secundo, non inutile, credo, fuerit noscere argumenta, saltem aliqua, quibus Adversarii, ut condemnationem impedirent, usi fuerunt. Quod tertium attinet, notum est singulas propositiones penè singularem habere naturam. Prima inter condemnatas hæc est: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Pro ejus patrocinio allegantur hæc: *Doctrina quam continet hac propositio disputatur in Belgio sicut alibi passim in utramque partem, aliis affirmantibus, aliis negantibus, idque hætenus sine acerbitate, scandalo & perturbatione &c. quid incommodi sequi posset ex doctrina illis conditionibus cautâ quas exprimit propositio, judicabunt Sapientes: nihil hic incommodi vidit Eminent. Cardinalis de Lugo sententiam illam tenens disp. 8. de Sacram. Sect. 9. n. 141. hoc certum est hæud parùm negotii suscepturam s. Sedem, si hujusmodi controversias omnes Theologia Moralis decidendas susceperit. Ita Adversarii in famoso illo specimine part 4. cap. 2. §. 1. Disputatur, inquiunt,*

in

in Belgio sicut alibi in utramque partem, aliis affirmantibus, aliis negantibus. En argumentum
 ut illa propositio non condemnatur! & tamen eo non obstante ut scandalosa & in praxi
 perniciosa est condemnata. Fateantur ergo Adversarii opinionem quæ, ut ipsi volunt,
 in Belgio & alibi passim in utramque partem disputatur, aliis affirmantibus, aliis negantibus,
 posse esse scandalosam & in praxi perniciosam, adeoque corrumpere suum generale principium
 de securitate sententiæ probabilis, nam sententiam illam, cui illi celebrem illam proba-
 bilitatem tribuunt, ut passim in utramque partem disputetur, condemnatio Pontificia non
 fecit scandalosam aut in praxi perniciosam, sed quia antè condemnationem talis erat, ideò
 condemnatio subsequuta est. Secunda inter condemnatas ita sonat: *Probabiliter existimo
 Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Huic loco speciminis antè ci-
 tato, subjungunt Adversarii. 1. Edisserant Doctores, quorum in Belgio Theologorum sit illa
 propositio, propositionem non invenerunt in toto Belgio: Theologum igitur authorem propositionis
 accesserunt ex Italia, & quidem Mediolano Martinum Bonacinam S. Theologia & I. V. Docto-
 rem, cujus ad verbum est illa propositio tomo 2. disput. 2. de peccatis q. 4. puncto 9. n. 13.
 pag. 100. col. 2. in fine. Nisi quod intermiscuerit Auctor citationem Clavis Regiæ, Aragon, Sa-
 lonis, Salas & aliorum. 2. Quod ad Belgii Theologos attinet, nemo doctrinam illam docuit, quod
 quidem assequi nobis licuerit: multò minus in Belgio illa peperit contentiones, perturbationes, scan-
 dala: imò certum est Belgii Theologos illam quaestionem tractantes scriptis libris, qui quidem nobis
 ad manum sunt contrariam prorsus doctrinam tenuisse: GUILIELMUM HERINX IPRESEM EPIS-
 COPUM summ. Theol. part. 3. disp. 4. q. 3. FRANCISCUM BONÆ SPEI in tract. de actib.
 hum. disp. 6. d. II. ELIGIUM BASSÆUM Tomo 2. verbo JUDEX: LEONARDUM LESSIUM de
 justitia & jure lib. 2. cap. 29. dub. 5. &c. Hæc illi dicto loco famosi speciminis. Nemo
 non videt quo tendant illa hic iterum ab Adversariis allègata, nimirum ut etiam hanc
 propositionem; quia non tenetur, ut asserunt, à Belgis, vel quia tenetur ab authoribus aliis
 pro illa citatis, possint ab imminente ipsi condemnatione liberare; cum tamen non vi-
 deatur posse cogitari in rebus temporalibus sententia magis scandalosa ac magis perniciosa:
 quia (verbis Anthonii Gelladei Professoris Larensis loquimur) illa admittitur, tam Iudices non
 adinstri justitia, sed arbitri essent rerum omnium litigiosarum, ut cui mallet parti, eas ad-
 scriberent. Constat enim experientia notoria in nullâ lite advocatum virum sæpè doctum deesse ulli
 partium qui jura & opiniones alleget Authorum pro suo cliente: ergo pars qualibet habebit pro se
 saltem opinionem minus probabilem. Si ergo juxta istam legem licet judicare; jam iudices arbitri
 sunt semper rerum litigiosarum ut cui voluerint parti, eas adscribant: sed non sit semper; cer-
 ferè semper erit. Consequens autem est absurdum. Part. 1. lib. 1. quaest. 15. de recta doctrina
 morum. Tertia inter proscriptas ab Innocentio XI. ita habet: *Generatim dum probabilitate
 sive intrinseca; sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, con-
 fessi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Ut proscriptionem Pontificiam ab hac propo-
 sitione avertere valeant; interrogant loco Speciminis antè citato: *quis est ille Belga Theo-
 logus author propositionis?* Deinde pro illâ citant Thomam Tamburinum. Secundò allegant
 prius dispiciendum esse an probabilitas præbeat sufficiens fundamentum formandæ con-
 scientiæ; etenim sicuti contritio quantumvis tenuis, est contritio; ita probabilitas,
 quantumvis tenuis, est probabilitas. Hæc illi; Quibus respondemus: Negare non possu-
 mus quin probabilitas de quâ loquitur propositio condemnata verè sit probabilitas:
 nunc ergò vicissim negare non possunt Adversarii; quin ex condemnatione illius propo-
 sitionis consecrarium sit non subsistere Adversariorum generale principium de licito usu
 sententiæ practicè probabilis, ut vocant. Quarta condemnata est: *Ab infidelitate excu-
 sabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* Ne hæc condemnatur dicunt eod-
 dem loco Speciminis Authorem propositionis non inveniri in Belgio, & quædam alia
 quæ brevitate causâ omitimus. Nonne iterum ex his manifestum est, quod sicut Lovan-
 nienses

nienfes egerunt ut quatuor illæ propofitiones condemnarentur, ita Adverfarii egerint ne condemnarentur non ergo Lovanienfes in illis dicendi funt condemnati, fed Adverfarii: *Is namque dicendus eft condemnatus, contra quem, non verò fecundum quem judicatum eft.*

CONCLUSIO SEPTIMA.

Amplius expenduntur argumenta quibus Adverfarii conati fuerunt impedire, ne quatuor primæ propofitiones proferberentur.

Dum Deputati Lovanienfes Romæ instabant pro condemnatione 65. & aliarum quarundam propofitionum ob nimiam earum laxitatem, ibidem adversus imminentem condemnationem movebatur inter alia hoc argumentum: *vel propofitiones illæ funt certò falsæ, & tales, dicebatur, condemnari non debent; vel falsitas est dubia, & ejusmodi condemnari non possunt.* Egregium certè argumentum, quo probaretur nullas propofitiones unquam esse condemnandas. In hunc scopum ut nullæ à Lovanienfibus exhibitæ condemnarentur, collimare videntur argumenta quæ in Specimine allegantur, quod aliquotusque patet circà 4. primas condemnatas, & magis patebit ex fequentibus. Primam Adverfariorum judicio condemnare non oportuit; quia *disputatur in Belgio, sicut alibi passim in utramque partem, aliis affirmantibus, aliis negantibus*: id est, quia tenerur à nimis multis: Pro secundâ citant authores paucos; pro tertiâ unum Tamburinum; pro quartâ unicum Joannem Sanchez: *quasdam* (inquiunt in eodem specimine) Lovanienfes *excerpsere ex Thefis Scholasticis semel alicubi defensis, quæ simul defensa simul oblivioni tradita sunt.* Hæc illi. Ex quibus conficitur non facile esse reperibilem propofitionem à quâ quantumvis scandalosâ & perniciosâ, condemnationem non censebunt arcentem, vel quia eam defendunt *nimis multi*, ut propterea proferber non possit; vel quia *nimis pauci*, ut proscriptio futura sit frustranea. Deinde Adverfarii affirmant aut insinuant, quod nulla ex illis, & signanter quod non prima inter condemnatas attulerit scandala in Belgio: ubi *Scandala* videntur vocare solas turbationes: quasi nimirum *Scandala* non sint illa dogmata, quæ etsi sine magna offensione, & sine turbatione populi, cum ingenti tamen animarum strage in praxim deducuntur: imo verò in ejusmodi dogmatibus tantò majora sunt *Scandala*, quantò populus ea audit lubentius, & offenditur minùs, ac sequitur promptius. Denique de hæc: *Probabiliter existimo Iudicem posse judicare juxtâ opinionem etiam minus probabilem*, dicunt Adverfarii: Certum est Belgii Theologos quæstionem illam tractantes, contrariam prorsus doctrinam tenuisse: GUILIELMUS HERINX IPRESEM EPISCOPUM; ELIGIUM BASSÆUM, &c. Ad illa respondeo, latere hîc insigne Sophisma, quia plures ejusmodi Authores quod unâ manu destruant, alterâ reponunt: id est, quod directè & in particulari licitum negant, per principium suum reflexum, id est, per generalem sententiam de licito usu opinionis, quam probabilem vocant, stabiliunt velut licitum: v. g. dicendo, prout unus illorum ait. *Nolim condemnare illos qui ex opinione præformata procedunt, existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minùs probabilem, hi enim eo ipso per reflexum judicium sequuntur practicè propriam opinionem.* Verum hi imprimis frustra laborant discutendo plurimos casus, in quibus hi asserunt, illi negant licere sequi opinionem alienam minùs probabilem: nam eo ipso quod fatentur probabilem, fateri coguntur licitum esse, quod velut illicitum exterminare conantur. Deinde eo ipso quod quis alicui opinioni assensum præbet, censet probabiliorem omnibus spectatis, cum ei simpliciter assentiatur & solum de veritate oppositi quamdam formidinem habeat.... In summ. Theol. p. 2. disp. 4. q. 3. Fateatur ergo Author ille se quoque frustra laborasse quærendo an liceat Judici judicare juxtâ opinionem

Opinionem alienam minus probabilem, fateatur, inquam, hoc, si verum sit quod qui ex præfor-
matâ opinione procedunt, existimantes sibi licitum esse sequi opinionem etiam minus probabilem,
sequuntur practicè propriam opinionem; adeoque non alienam; item quod probabiliorem, aded-
que non minus probabilem. Ex quibus omnibus consecrarium videtur, uti, juxtâ hunc
Authorem, licitum est sequi opinionem probabilem minus tutam, dummodo ea quam in
praxi amplectitur sit sua opinio, ita quoque liceat sequi minus probabilem & minus tutam
alienam, modò opinionem, quæ hoc licere asserit, fecerit suam, id est, modò existimet
licitam sequi opinionem alienam minus probabilem minus tutam. Tria nunc Lectori
examinanda relinquo. Primum an hinc non sit consecrarium quod quilibet author cujuslibet
65. Propositionum, sine peccato fuerit in praxi secutus suam opinionem probabilem,
ut vocant? Secundum: an consecrarium non sit quod sine peccato egerit contrâ
propriam opinionem, quisquis sibi persuaserit etiam ita sibi licere? Tertium: an hæc
consistant cum verbis SS. D. N. Innocentii XI. condemnantis 65. propositiones ut scan-
dalosas & in praxi perniciosas, non quia tales fecit ipsa prohibitio, sed quia antè erant
scandalosæ & in praxi perniciosæ. Hæc occasione unius Authoris Belgæ qui citatur velut
contrarius secundæ inter condemnatas. Alter verbo conscientia petit primò: an unius opi-
nio communi præferri possit in iis quæ etiam sunt juris Divini? Respondeo, inquit cum Sanchez,
Bressero & aliis affirmativè, si singularis illa opinio bene fundata sit. Petit secundò an excusetur
à peccato qui sequitur opinionem unius Doctoris absque eo quod eam expendat & postea reperit
falsam? Responso ait est affirmativa: His adde alia sequentia ab eodem asserta: quando quis
alienam opinionem putat falsam ex intrinsicis principiis, seu ex vi rationis, potest nihilominus in ope-
rando illam amplecti captivando intellectum in obsequium auctoritatis Doctorum, qui eam tradunt,
credendo quod probabile sit, quamvis tale ipsi non appareat: ergo secundum hunc omnes 65.
Propositiones erant in praxi securæ, cum tamen Pontifex illas proscribat, quia erant scan-
dalosa & in praxi perniciofa. Frustrâ ergo contrâ secundam condemnatam allegatur hic Au-
ctor, cum per doctrinam generalem de licito usu probabilium, securum faciat Judicem ju-
dicantem secundum opinionem minus probabilem. Hinc idem ille conformiter ad suum
principium generale in terminis, ut aiunt, dicit: Probabile etiam est, posse judicem secundum
minus probabilem judicare. Ratio, inquit, est quia nec temere nec imprudenter agit, ut potè qui
ratione probabili ducitur, eo enim ipso quo opinio est probabilis, est conformis rectæ rationi, & conse-
quenter potest eam sequi in judicando. Nec obstat quod altera opinio sit probabilior, & conse-
quenter conformior rectæ rationi, & idèd potius secundum eam judicandum erit, quia sicuti in
mediis ordinatis ad salutem, nemo tenetur eligere, secluso voto, aut juramento, quod melius &
securius est, ita in sequendis Doctorum sententiis non tenemur eligere meliorem, &c. Videt hinc
Lector qualia sint argumenta quibus Adversarii conati fuerint impedire ne quatuor illæ
primæ Propositiones proscriberentur: quamque sit imbecillum ut impediatnr condemna-
tio ad instantiam Lovaniensium, quod Belgæ certæ propositionis contrarium teneant in
particulari ac directè, cum ejusmodi propositionem (quod sexcenties faciunt Casuistæ)
teneant per principium reflexum, id est, per generale principium de sententia probabili,
veluti morum regula.

CONCLUSIO OCTAVA.

Natura quatuor primarum Propositionum potissimum ut relucens in ipsarum generali
principio de usu Probabilium, non sapit doctrinam Lovaniensium.

Quisquis in aliquali luce intuetur quatuor primas Propositiones, videt in illis insignem morum relaxationem, id est ingentia cupiditarum fomenta. Quid enim nisi cupiditas impellere potest ut juxtâ primam sentias materiam aut formam probabilem,

B

adedque

Aded que incertam certæ præeligendam ? Necessum enim est , ut ejusmodi prælectio Sa-
cramentis ac eorum auctori ob periculum invaliditatis certam adferat irreverentiam ;
proximo autem nocumentum saltem incertum , quorum neutrum , dum abest necessi-
tas , nisi ex terrenâ cupiditate admitti potest. Igitur non nisi meram laxitatem continet
prima inter condemnatas. Magis manifestum , ac prorsus intolerabilem complectitur
secunda , quæ Judici potestatem facit ; ut pro illo judicet , cujus jus est minùs proba-
bile ; illum verò condemnet , pro quo novit stare jus magis probabile : siquidem hoc
pacto justum pronuntiatur , ut justitiæ Vindex pro illo judicet , cui favere lubet. Aded
namque pauca ac levia ad probabilitatem hodie laxitatum patronis sufficiunt , ut pœne
impossibile sit probabilitatem hodiernam alicui collitigantium unquam deesse. Fieri pro-
inde vix potest , ut Judicis cupiditati juxtâ hanc quidem propositionem unquam deficiat
justa ratio favendi cui vult. Blanditur etiam carnalibus affectibus eorum omnium , qui
apud ipsos Judices amicitia , auctoritate ac potestate aliquâ in re etiam ipsis vicissim fa-
vendi valere noscuntur. Mirum quantum hæc sententia exaltet viros quos hodie doctos
& probos vocant : ubi enim hi ex libro alicujus Casuistæ , vel è magno illo juris oceano,
sententiam aliquam , quam probabilem vocant , produxerint , aut ipsimet novam cude-
rint , dummodò judicem sibi devotum habeant , poterunt utriusvis colligantium pro suæ
ambitionis , avaritiæ , alteriusve affectus libidine , condemnationem procurare , nequid-
quam reclamante jure quantumvis probabiliori , illius quem condemnatum volunt. Re-
ges quoque ac principes pro illorum ac sua cupiditate pari jure vel potius pari injuriâ ,
in quam maluerint partem flectere poterunt. Certè non sapiunt hæc doctrinam Lovan-
niensium , qui cupiditati nihil ; sed charitati Dei ac Proximi totum , nihil affectui car-
nali , at totum dilectioni justitiæ tribuendum esse sentiunt ac docent. Pariter osten-
dendum esset ; iterùm singulatim , quod 3. & 4. inter condemnatas nihil habeant
de naturâ & indole doctrinæ Lovaniensis. Id , inquam , ostendendum esset , nisi
utiliùs foret harum quatuor Propositionum , quæ omnes probabilitate nituntur ,
laxitatem cupiditatisque favorem ostendere in ipsâ omnium radice , id est , in ge-
nerali principio de licito usu sententiæ probabilis ; hoc scilicet : *licitum est sequi opi-
nionem modò sit probabilis*. Porrò veluti morum regulam statuunt hoc principium , cujus
naturam ac indolem nunc indagamus , ut vel hinc quivis dijudicare valeat , an quatuor
primæ inter condemnatas ex illo principio pullulantes , redoleant doctrinam Lovanien-
sium , id est , an principium istud laxitati an rigori faveat , quidve horum in illas propo-
sitiones derivaverint. Laxitati favere evincit triplex qualitas istius principii sive Regulæ :
nimirum quod sit regula sive *mensura incerta* ; quod *flexilis ad cupiditatem utentis* , 3. quod
multas laxitates produxerit & plures aliunde productas confirmet. Regula ista incerta est ra-
tione extensionis , nam plerique restringunt *ad probabilia in quibus velut absolute licitum
sive Legi non contrarium quidpiam defenditur* : latius extenderunt illi qui non illicitum pronun-
tiantur sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori &c. ut habet prima ;
quam extensionem non paucis placuisse testantur Adversarii in Specimine. Incerta est
ista regula rursus ratione extensionis , quia plerique extendunt etiam ad *minùs probabilem* ;
nonnulli insuper ad opinionem *alienam* contra propriam : quidam è contrâ restringunt
ad *propriam*. Reperiuntur etiam qui ad *probabilioem*. Præterea alia ratione ostenditur in-
certitudo istius regulæ , dum aliqui plures , alii pauciores Auctores requirunt ad probabi-
litatem. Siquidem multis sufficit vir unus , quem probum ac doctum vocant , alii defide-
rant plures. Insuper regula ista incertitudinem habet , ratione ponderis quod habere de-
beat auctor gravis , nescitur enim quantum ponderis ad istud requiratur & sufficiat : præ-
terea habet incertitudinem ratione ponderantis ; siquidem aliter Lovanienses , aliter eo-
rum Adversarii hunc illumve virum , quem gravem vocant , ponderabunt. Aliter etiam
humilis .

humilis, aliter ambitiosus ponderabit rationes, quibus restrictiones mentales stabiliuntur juxta 28. Aliter rursus vir justus, aliter injustus ponderabit argumenta quibus furta excusantur juxta 30. 37. 38. item usura secundum 40. 41. 42. & Simonia quam defendit 48. Denique quid nisi incertitudinem adfert ista regula, quatenus ultimata resolvitur in *auctoritatem gravem & gravem rationem*: etenim ratio gravis dicitur quae movet *virum gravem*, & vicissim vir gravis, qui non movetur nisi *ratione gravi*, idque per merum *circulum*, qui incertitudine, obscuritate & tenebris omnia involvit. Veniamus nunc ad secundam regulae istius qualitatem: dicimus esse *flexibilem* ad cupiditatem utentis, idque probamus ratione & propria Adversariorum confessione: ratione quia probabilitas nascitur & dependet ex ignorantia, haec ex cupiditate & peccato; atque ita sicut ex ignorantia facile quis judicat illud sibi esse licitum quod suae cupiditati est conforme, ita quoque ex probabilitate; ut propterea dubitandum non sit, quin homines vitiosi pro vitiorum varietate, singulos comparando ad propositiones expressas in Decreto Innocentii XI. promptissime judicaverint sibi licere, quod secundum cujusque cupiditatem, per opiniones illas licitum asseritur. Quod propriam Adversariorum confessionem attinet, nihil ipsis familiarius, quam legem Divinam, etiam naturalem, ubi humanae corruptioni durior videtur, emollire, restringere, alterare, convellere &c. dicendo quod aliam *non sit satis conformis humanae infirmitati*, id est, corruptioni ex peccato progenitae. Pater in multis Auctoribus illarum opinionum quas Alexander VII. & Innocent. XI. condemnarunt. Superest ut de tertia dictae regulae qualitate nunc agamus: *Multas laxitates regula illa produxit*: nam ubi semel in animum admiseris tutum vel securum esse quidquid est probabile; ubi praeterea, ut fieri solet in omnibus qui Theologiae tradendae sese idoneos profiterentur, te ipsum viris doctis ac probis annumeraveris, dicta regula te impellet ut in omni qua potes materia *novas sententias probabiles* producere ac multiplicare non desinas. Facies hoc quidem sine timore: omnes enim illae sententiae, siue verae, siue falsae fuerint, tuo judicio erunt in praxi tutae & securae; quin imo facies cum spe successus & fructus maximus: nam quae ante fieri non poterant nisi culpabiliter, probabilitatis beneficio secundum te securae & absque peccato posthac exerceri poterunt. Quod attinet posteriorem partem tertiae qualitatis istius regulae, quod nimirum regula illa *plures laxitates aliunde quam a se productas, ipsa nihilominus confirmet*, clarius est quam ut probatione egeat: quandoquidem principium istud indefinitè pronuntiet licitum esse sequi opinionem, modò sit probabilis, saltem *dum quidpiam absolute licitum siue legi non contrarium defenditur*: imò per principium, ut aiunt, reflexum hoc pacto tuas quodammodò facies omnes opiniones alienas probabiles: hinc etsi quidam regulam restringant ad opinionem propriam, tamen nolunt condemnare illos qui ex praeformata opinione alienam etiam minus probabilem sequuntur, *hi enim eo ipso per reflexum judicium sequuntur practice propriam opinionem*. Clarum hinc est illos, dum regulam istam ad sequelam opinionis propriae limitant, verbis potius quam re ipsa ab aliis limitationem illam non adhibentibus, recedere. Idem dicendum de illis ipsis, quatenus regulam insuper limitandam putant ad sequelam opinionis probabilioris, sed unà asserunt quod *eo ipso quod quis alicui propositioni assensum praebeat censet probabilioris omnibus spectatis*. Consectarium hinc est, etiam secundum illos qui istum in modum regulam illam ad sequelam opinionis propriae & probabilioris restringunt, propositiones per Decretum Innocentii XI. condemnatas, fuisse ante earum condemnationem in praxi tutas & securas, imprimis respectu eorum quorum proprie loquendo erant illae opiniones, deinde etiam respectu aliorum, qui ex opinione praeformata processerunt, existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam, etiam minus probabilem: cum tamen ex eodem Decreto constet etiam tunc fuisse scandalosas & in praxi perniciosas. Porro qui in Theſibus duodecimâ Julii defensis dixit: *Certum tenes*

*Et incertum dimittis, ubi conscientiam tibi formas ex opinione certò & practicè probabili, quâ
 nititur motivo secundum se quidem fallibili sed gravi, ex quali vir prudens & consideratus in
 rebus magni momenti concludere solet: hinc grave non est simpliciter nisi quod perpensis pro rei gra-
 vitate omnibus tale manet. Qui hæc dixit primo intuitu non videtur debere admittere
 quod propositiones per Innocentium XI. condemnatæ antè fuerint tutæ & securæ tum
 illarum authoribus tum sequacibus. Verum cum idem ille verbis citatis subjungat: *Si vis
 hanc vocare moraliter certam, non negabo; si vis probabiliorem dicere, non repugno; nam sua
 cuique opinio est probabilior,* ipsi expendendum relinquimus, quomodo negabit quod Au-
 ctoribus 65. Propositionum sua cuique opinio non solum probabilior, sed etiam mora-
 liter certa fuerit; item, quod sequacibus illorum sua cuique opinio (quâ nimirum opi-
 nabantur licitum esse illos Authores sequi) non solum probabilior, sed etiam moraliter
 certa fuerit, adeoque tuta & in praxi securæ. Hinc statue quàm parvi faciendum quod
 harum Thesium Auctor regulam limitet ad certò & practicè probabile, nisi ostenderit ex
 doctrina sua consecrarium non esse, quod sua cuique opinio sit certò & practice proba-
 bilis, adeoque secundum illum practicè tuta ac securæ. Non evades etiam incommoda
 haud parum similia allegatis, si practicè probabile, practicè certum dixeris, etsi ad probabi-
 litatem non modò unicum Auctorem, sed plures; imò etsi notabilem numerum, eorum
 quos *probos & doctos vocant* requisieris. Etenim talem ejusmodi virorum numerum sibi
 suffragantem habuerunt propositiones multæ inter 65. quin etiam aliquæ earum, quæ
 præ multis aliis sunt magis *scandalose & in praxi magis perniciose*. Ex. gr. secunda de Ju-
 dice & 26. de restrictionibus mentalibus. Præterea quid aliud est dicere *practicè proba-
 bile est practicè certum*, nisi *practicè incertum est practicè certum*: omne namque probabile
 cum de veritate & falsitate ejus non constet, est incertum; ut proinde pari jure non homo
 diceretur homo quò *practicè probabile, practice certum*. Latet ergo hic iterum insignis laxi-
 tas, dum practicè probabile generatim pronuntiatur practicè certum: siquidem hoc
 pacto tam multa tamque notabilia, quæ non sunt certò legi Dei conformia, dicuntur
 certò esse conformia: imò tam multa quæ uni legi Dei in quam probabiliter impingunt,
 fortassis sunt contraria, quæque alteri ejus legi, nimirum ejusmodi periculum vetanti,
 certò sunt contraria, dicuntur absolutè legi Dei esse conformia. Quæ omnes laxitates
 non modo doctrinam Lovaniensium non sapiunt, sed illi positivè adversantur, dum
 schola Lovaniensis veluti principia tradit, imprimis nunquam ex ignorantia, ac multò
 minùs unquam ex probabilitate sine omni culpa agi contra jus naturæ. Alterum princi-
 pium constanter tradit eadem schola, peccari contra conscientiam, nisi certum incerto,
 adeoque quod certò licitum est, probabiliter tantum licito præferatur. Denique Lov-
 nienses dicunt rursus contra conscientiam agi dum in probabilibus, utpotè in dubiis ac
 incertis, non eligitur quod tutius apparet. Quæ Lovaniensium principia, ut latius
 ostensum in Thesibus nostris de Opinione Probabili, omninò destruunt vastum illud Ad-
 versariorum principium de licito usu sententiæ probabilis, ac proinde etiam quatuor
 primas propositiones condemnatas, quatenus istius principii veritatem præsupponunt,
 eique velut fundamento superstruuntur.*

CONCLUSIO NONA.

*Ex Adversariorum conatibus, & ipsa Propositionum natura ostenditur, quod in
 quintâ, sextâ & septimâ Lovanienses non sint condemnati.*

Quinta hæc est. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eli-
 ceret? Condemnare non audemus.* Sexta ita sonat. *Probabile est, ne singulis quidem ri-
 gorose quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Septima sic habet. *Tunc so-
 lum*

tum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possumus.
 Has tres propositiones conati sunt Adversarii ab imminente sibi condemnatione subducere, in famoso Specimine, iterum allegando, prout circa multas alias inter 65. quod non habeant authores Belgas, quod an verum sit, ne quidem inquirendum censemus. Siquidem fraterna charitas quam omnibus debemus generatim, & sollicitudo quam sibi mutuo debent speciatim ejusdem Ecclesiae membra, requirit ut Lovanienses non solum pro Belgis, sed etiam pro aliis nationibus ab errore liberandis laborent. Accedit quod non solum authores Belgae, sed etiam extranei in Belgio legantur, defendantur, laudentur, eorumque mala doctrina hic in praxim deducatur. Denique quid refert an Belgae opiniones illas directe, ut aiunt, tenuerint? Cum ex anteriori Conclusionem confectarium sit, quod centeni Auctores nostrates, secundum regulam de licito usu probabilium mox explicatam, illas & infinitas alias, sive nostratum, sive extraneorum fuerint istae opiniones, per principium reflexum probaverint, confirmaverint, suas fecerint, & in praxi securas esse voluerint ac docuerint. Vel ex hoc solo cogitent authores Belgae quam horribile sit, in moralibus statuere regulam adeo generalem, ut per eam probare convincantur, imò & suas facere omnium quarumcumque nationum opiniones, quas probabiles vocant. Expendant insuper quot quantasque injustitias, perjurias, sacrilegia, & in omni vitiorum genere crimina, suâ auctoritate comprobent, quantamque animarum stragem secum trahant illae opiniones, & ipsis mediantibus, illa regula per quam istae opiniones in praxi stabiliuntur. Quod naturam attinet trium illarum propositionum, hæc, *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? Condemnare non audemus*; tantam complectitur laxitatem, ut major cogitari vix posset. Indulget enim hominibus ut unico momento excepto, toto reliquo vitæ tempore non ex charitate, ac proinde juxta S. Augustinum ex cupiditate, id est, non Deo, sed sibi ipsis vivant: item ut non in Deo sed in mundo finem ultimum constituent, id est, non Deum plus quam mundum, sed mundum plus quam Deum totâ vitâ durante, si unicum momentum excipias, diligant. Ab intolerabili hac laxitate vix distat illa quæ traditur per hanc propositionem: *Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis &c.* Quid enim tantum interest an dicas unico momento dempto è tempore totius vitæ, an verò quod unicum momentum excipiendo singulis quinquenniis, liceat per reliquum vitæ tempus sibi, non Deo vivere? Item non in Deo, sed in mundo finem ultimum constituere? Ex quibus facillè est videre quam horribilem laxitatem contineat hæc: *Tunc solum obligat quando tenemur justificari, &c.* quandoquidem illa peccatores penè semper, & justos omninò semper finat vivere sine amore Dei: adeoque in amore sæculi etiam prædominante. His tamen non obstantibus Emanuel de Filguera Vallis Oletanus scribens de 65. propositionibus ait: "Pro opinione damnatâ (illa scilicet quam in hac Conclusionem primo loco posuimus, *an peccet mortaliter, &c.*) communiter allegatur Vasquez tomo 2. in 3. part. quæst. 86. art. 2. dub. 6. n. 11. & quæst. 90. art. 1. dub. 4. n. 40. & Gaspar Hurtado de charit. disp. 4. difficul. 1. dicentes in articulo mortis obligare, quos sequi videtur Ioannes Sanchez in select. disput. 1. num. 21. ubi inquit, quod si verè ad speculationem tantum esset recurrendum, hæc videtur verior sententia, videatur Machadus tom. 1. lib. 2. part. 2. tract. 6. document. 1. num. 9. Expresse eam secutus fuit Remigius Noydens in summa tract. 2. cap. 1. de primo præcepto Decalogi §. 3., Hæc De Filguera ad propositionem quintam. Hos errores trium dictarum propositionum quantumvis palpabiles, non facillè evinces si eorum auctoribus aut approbatoribus concesseris quod aliquo tempore morali loquendi modo liceat vivere sibi, non Deo, & finem ultimum constituere non in Deo, sed in mundo; multo minus si dixeris quod sufficiat tertio, quarto, decies aut vigesies in anno Deo vivere, & toties finem ultimum in Deo consti-

constituere; quasi nimirum totidem e. g. horis exceptis reliquo tempore mundum amore prædominante diligere liceret. Etenim si hoc liceat reliquo tempore, cur non licet toto anno, & si uno anno, cur non duobus, tribus, &c. ? Rem à simili declaro: nisi in corpore qualicumque, quocumque demum tempore sit calor, necessum est ut in illo prædominetur frigus: imo si caloris quiddam, sed frigoris plus sit in corpore, fieri non potest quin in illo prædominetur frigus; jam verò pro calore cogita charitatem, sive castam dilectionem Dei, pro frigore cupiditatem sive dilectionem mansoriam creaturæ adedque mundi. Similitudinem in hoc constituo: ex Scriptura S. Patribus & ratione constat hominem aut ex charitate aut ex cupiditate vivere debere (ut patet ex Theſibus nostris de Charitate) sicut corpus debet habere calorem aut frigus: ergo sicut absentia caloris, item præsentia minoris caloris infert quod in corpore prædominetur frigus, ita absentia charitatis aut præsentia charitatis minoris, quàm nimirum sit cupiditas, infert quod in homine prædominetur cupiditas sive amor sæculi. Ex quibus conſectarium est, ut si admiseris quod liceat aliquo tempore moraliter loquendo esse sine ullo amore Dei, aut esse cum amore Dei minore quàm sit cupiditas ejusdem subjecti, admittere debeas quod aliquo tempore liceat amore prædominante diligere mundum, sive in eo finem ultimum constituere; & si aliquo tempore, cur non longiori? Ut si medio anno, cur non integro, &c. ? Neceſſe est igitur ab opposito negare quod liceat aliquo tempore moraliter loquendo esse sine amore Dei, aut cum amore Dei minori quàm sit cupiditas in eodem subjecto, ut possis evincere errores trium dictarum propositionum. Ex his collige primò quod doctrina nostra quæ dicit Deum morali quodam modo loquendi debere semper amore prædominante diligere, sive debere esse finem ultimum cujuslibet agentis, idque sub peccato mortali, directissimè opponatur tribus istis propositionibus condemnatis. Secundò, quod nisi ejusmodi doctrinam admiseris, non evinces errores istarum trium propositionum. Tertio, quod istarum propositionum doctrina non sapiat naturam principiorum scholæ Lovaniensis, in qua nihil frequentius auditur quàm illicitum esse ullo unquam tempore agere ex cupiditate, sive non ex charitate: adedque nullo iterum colore possunt Lovanienses hîc dici condemnati, sed potiùs eorum Adversarii. Subjungimus hîc Carmen Poëtæ Lovaniensis ludentis ad doctrinam de eliciendo amore divino singulis quinquenniis, de quo in famoso Specimine conqueruntur Adversarii, justè an injustè Lector judicet.

*Quisquis ades, voces has noveris esse Beati;
 Dextra gerit palmam, tempora laurus obit.
 O me felicem! quintus propè fluxerat annus,
 Elicitus cum non actus amoris erat.
 Lux erat una super: mors tollit ad astra repente,
 Tempore non poteram commodiore mori.
 O bene! nam vita si cursus fortè fuisset
 Longior, in pœnas esset omissus amor.
 Addita si vita solum lux una fuisset,
 Nunc phlegethontao forsan in igne forem.*

CON.

CONCLUSIO DECIMA.

Ex Adversariorum conatibus & ipsâ Propositionum naturâ ostenditur, quod in octava & nona Lovanienses non sint condemnati.

Octava dicit: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Nona asserit: *Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* De priori propositione Adversarii loquuntur in Specimine his verbis: *An & quâ censurâ digna sit propositio, statui malumus à Lovaniensibus Doctoribus, qui eam retulerunt ad Moralem Theologiam cum miserandi hujus sæculi corruptione symbolizantem, quàm à nobis. Interim dispiciant sapientes, an plus reprehensionis mereatur propositio, quàm vulgaris doctrina Scotistarum, & aliorum, qui censent dari actus indifferentes in individuo; adeoque non peccari eo ipso, quo actio quæpiam non refertur in finem honestum.* Culpantur insuper in Specimine Doctores Lovanienses quod sentiant actus nostros debere in Deum referri per castam ejus dilectionem. Præterea in eodem Specimine ad utramque hanc propositionem notant Adversarii quod Lovanienses petierint istas condemnari, quia censent non sufficere ut ejusmodi actiones referantur in finem aliquem utcumque honestum, sed requiri ut per charitatem in Deum referantur. Et hæc quidem ut propositiones istas condemnandas non esse ostendant. Ex quibus rursus colligitur: primò quod in illis non ipsi Lovanienses, sed eorum Adversarii sint condemnati. Secundò quod Lovaniensium doctrina, de actibus nimirum in Deum referendis, directissimè adversetur Propositionibus istis condemnatis sive doctrinæ earum. Tertiò, quod istarum condemnatio faveat doctrinæ Lovaniensium: etenim si non liceat ob solam voluptatem comedere & bibere vel exercere opus Conjugii, consentaneum est ut non liceat ob solam voluptatem comedere & bibere vel exercere opus conjugii, consentaneum est ut non liceat agere ob ullam delectationem concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum aut superbiæ vitæ, adeoque non ob fruitionem ullius creaturæ, si hoc verum est ergo omnes actiones referendæ sunt in Deum, etenim si non referantur in Deum exercentur ob fruitionem alicujus creaturæ: quod etiam dicendum dum exercentur ob honestatem naturalem, si per hanc non Deus ipse qui rerum naturalium est incommutabilis honestas, sed humana æstimatio, aut quid aliud creatum intelligatur: tunc enim locum habere videtur illud Augustini: *Licet à quibusdam tunc vera & honesta putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expectantur, etiam tunc inflata ac superba sunt; & idè non virtutes sed vitia judicanda sunt.* Aug. lib. 19. de civit. c. 25. Ex his omnibus iterum concluditur quod sive spectetur conatus Adversariorum pro harum Propositionum condemnatione advertendâ, sive spectetur natura ipsarum Propositionum, non possit ullâ verisimilitudine dici quod in istis Propositionibus Lovanienses sint condemnati.

CONCLUSIO UNDECIMA.

Ex illis quæ Adversarii egerunt, ne propositio decima & undecima condemnarentur, item ex naturâ illarum propositionum rursus consicitur intentum nostrum.

Decima propositio est hæc: *Non tenemur Proximum diligere actu interno & formali.* Undecima: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Quemadmodum Memorialis Hispanici antè citati, ita quoque famosi Speciminis scopus fuit, non solum aliquas ex Propositionibus per Lovanienses Deputatos Romæ exhibitas condemna-

demnationi subducere, sed omnes omnino nulla prorsus exceptâ. In Memoriali quidem, ut antè diximus, eo titulo, quòd futurum sit novorum gravissimorumque incommodorum seminarium, si, ut aiunt, Propositiones, etsi censurâ dignæ, condemnentur ad instantiam & sollicitationem Doctorum Lovaniensium. In Specimine verò non nituntur Adversarii, quemadmodum in Memoriali, unico generali titulo, sed admodum variis, quorum jam tum aliquos in hisce Thesibus allegavimus. Circa has Propositiones notari dignum, quod illis sensum aliquem assignant, quem nullatenus admittunt. Etenim ad eò clarè istæ Propositiones excludunt necessitatem actûs interni & formalis, ut clariùs non possint; & ad eò clarè in illis dicitur sufficere solos actus externos, ut; clariùs rursus dici non possit. Si tamen tantæ claritati aliquid additum velis, en verba quibus eandem doctrinam Adversarii expresserunt in suis Thesibus: *Qui odio deposito, inquit, benefacit proximo & mala illius avertit, non videtur ad amorem internum obligatus. Per dilectionem seu charitatem proximi, inquit alius, non intelligit Apostolus actum positivum amoris amicitia erga proximum, sed tantum negationem odii, & cujusvis injuria in proximum, ac insuper exhibitionem officiorum.* &c. Natura illarum Propositionum affinis est illi quam exhibent Propositio 5. 6. & 7. concernentes obligationem amandi Deum. *Leander à SS. Sacramento, ut refert de Filguera, rectè inquit, Auctores asserentes non dari speciale præceptum de Deo diligendo amore interno, verò & positivo, quorum aliquos refert, ac sequitur Gaspar Hurtado disp. 4. de charit. difficult. 1. à fortiori docere, nos non teneri Proximum diligere actu interno.* Patet hinc quod ejusmodi auctores de diligendo Proximo fuerint locuti conformiter ac consequenter ad doctrinam damnatam de amando Deo. Affirmare equidem non possumus, quod vicissim ita se res habeat ut quicumque negant obligationem diligendi Proximum actu interno, illicò explicite negent obligationem amandi Deum actu interno. Magna tamen hic iterum est connexio: nam ex Scripturâ Sacrà & ratione colligimus istud Augustini de fide & operibus cap. 10. *Quod nec dilectio Dei possit esse in homine, si non diligit Proximum, nec dilectio proximi si non diligit Deum.* Et hinc natum est fieri, ut qui multum extollunt obligationem diligendi Deum, etiam multum extollant obligationem diligendi Proximum; ad eòque vel ex hoc solo quod Lovanienses toti sint. ut inculcent obligationem Deum habendi semper ut finem ultimum cujuslibet actionis, idque per internum Dei amorem, facilè est colligere quod duæ propositiones antedictæ hominem eximentes ab obligatione internæ dilectionis Proximi, non sapiant doctrinam Lovaniensium. Præterea fieri non potest ut quis sentiat quod Proximus non sit diligendus actu interno, nisi in lectione Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & inter hos potissimum Augustini, sibi ipsi violentiam inferat: ad eò namque frequenter Scriptura sacra & Augustinus internam Proximi dilectionem inculcant, ut difficillimum, imò impossibile sit cum illis conciliare doctrinam, quæ dicit quod Proximus non sit diligendus actu interno. Hinc evenit ut qui tenet, aut ab aliis teneri vult hanc doctrinam (idem est de quavis aliâ quæ cum Scripturâ Sacrà aut Augustino agrè conciliatur) nec Scripturæ Sacræ, nec Augustini lectionem multum amet, aut aliis multum eam commendat. Nunc autem notum est à Lovaniensibus Scripturæ Sacræ & S. Augustini lectionem amari & commendari; atque ita vel hoc titulo iterum colligitur, quod dictæ propositiones non sapiant doctrinam Lovaniensium. Deinde manifestum est Lovanienses totos esse in extollenda lege æterna ac naturali; eos ubique profiteri quod legis illius ignorantia nunquam ab omni culpâ contrâ illam agentes excuset; istam legem in omnibus consuli volunt, non verò probabilitatem, aut novorum Casuistarum libros. Quomodo ergò verosimile est quod ex genio Lovaniensium scaturire potuissent propositiones legi naturali tam evidenter contrariæ? Denique quid Adversarios impulit negare obligationem actu interno diligendi Proximum & præcipuè inimicum? nunquid quod homines rebus mundanis immerfos ab istâ dilectione cernerent nimis

nimis alienos : Unde collegerunt istis deesse gratiam sufficientem ad talem dilectionem , & cum juxtà ipsos nunquam sit obligatio etiam in pessimis , nisi adsit gratia sufficiens , factum hinc videtur ut obligationem istam negarent. Quod locum non habet in Lovaniensibus , qui cum Augustino profitentur , *gratiam Dei non omnibus dari : quibus datur , misericordiâ Dei gratuita dari : quibus non datur , justo Dei judicio non dari* : quod postremum maximè obtinet in illis qui gratiam non petunt , imò per mundanos affectus à corde suo positivè excludunt. Non modò internam Proximi , etiam inimici , dilectionem requirunt Lovanienses , sed insuper volunt ut semper maneat in corde ; non quasi velint ut semper adsit actualis super qua fiat actualis reflexio , sed sufficit ipsis habitualis , similis constitutioni quam in corde fovet habituatus avarus , ambitiosus , libidinosus &c. singuli respectivè erga suæ cupiditatis objecta ; id est constitutio habitualis , non otiosa illa quâ multi contenti sunt , sed actuosa , atque ad actum ipsum incitans. Hoc sensu requiritur , ut dilectio inimici sit semper in præparatione animi , sive ut animus semper promptus sit ac paratus ex dilectione succurrere inimico. Et hoc est quod exprimit Augustinus epist. 5. *Teneantur in secreto animi patientia cum benevolentia , in manifesto id fiat , quod eis videtur prodesse posse , quibus bene velle debemus.*

CONCLUSIO DUODECIMA.

Idem intentum ostenditur circâ Propositionem duodecimam.

Duodecima propositio : *Vix in secularibus invenies , etiam in Regibus , superfluum statui.* Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam . quando tenetur tantum ex superfluo statui. Hanc propositionem , inquit de Filguera , tenuit Vasquez in opusc. c. 3. de eleemosyna dub. 3. num. 26. & cap. 4. num. 15. quem postea secutus fuit Diana part. 2. tract. 16. resol. 26. addens , divites non esse condemnandos circâ præceptum largiendi eleemosynam , quia non tenentur inquirere pauperes , nec tenentur largiri eleemosynam in communibus necessitatibus , & bona superflua non facile in ipsis , etiam ditissimis , reperiuntur. Hæc Diana qui eandem sententiam persecutus fuit part. 5. tract. 8. resol. 20. Coninck. disput. 25. dub. 1. num. 110. & Castrus Palaus tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 2. num. 2. in fin. Ex his pro illius doctrinæ praxi fortassis concluderunt illi , quibus pro morum regulâ sufficit probabilitas , id est , Adversarii nostri. Secus Lovanienses , hi enim pro regulâ morum statuunt legem æternam , cum quâ dicta propositio nullatenus consistit , ut patet ex sequentibus S. Scripturæ locis. Propter mandatum assume pauperem : & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum &c. inquit Sapiens Eccl. 29. item Proverb. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum , & ipse clamabit & non exaudietur.* Clarissimè etiam adversatur Christo Domino præcipienti : *Omnia quacumque vultis ut faciant vobis homines , & vos facite illis.* Quis enim in egestate constitutus non vult etiam à secularibus sibi dari eleemosinam ? Item huic sententiæ Christi Judicis : *Discedite à me maledicti in ignem æternum , qui paratus est diabolo , & Angelis ejus. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare ; sitiivi , &c.* Non minùs eadem propositio repugnat Apostolo Paulo 1. ad Tim. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere , neque sperare in incerto divitiarum , sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere , divites fieri in bonis operibus , facile tribuere , communicare.* Item Apostolo Joanni. *Qui habuerit substantiam hujus mundi , & viderit fratrem suum necessitatem habere , & clauserit viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo ?* Meritò proindè ad instantiam Episcopi Gandensis Lovanienses præter alios 25. Articulos , anno 1657. reprobarunt hunc : *Superfluum non est quod homines servant pro statûs sui vel parentum qualitate habitâ vel adipiscendâ : ideoque vix poterunt inter seculares inveniri*

inveniri qui superfluum habeant. Notatu dignum quod dicta propositio mirè consentiat 5. 6. & 7. quatenus ex his sequitur quod toto tempore vitæ, si exiguum excipias, liceat sæculum amare amore prædominante, sive pro fine ultimo habere mandum; cui fini assequendo admodum opportunum est divitias non in pauperes erogare, sed suis cupiditatibus reservare. Ut non tantum quæ in Adversariorum doctrina hic improbantur, sed etiam quæ nos in hâc materiâ sentimus, ostendamus; dico ex assignatis Scripturæ locis confectarium esse, quod non tantum in extremâ necessitate, sed etiam in communi teneamur ad eleëmofynas. Deinde quod non tantum ad eas teneamur ex superfluis statui adipiscendo, sed etiam ex iis quæ soli statui jam adepti sunt superflua. Præterea quod non tantum de iis quæ mundus reputat superflua, sed etiam de illis quæ vitæ juxtâ modestiam, ac sobrietatem Evangelicam institutæ supersunt: quia sententiæ ex Scriptura S. allegatæ nullam faciunt mentionem extremæ necessitatis pauperum, nullam superfluum respectu status adipiscendi, nullam quoque habent rationem eorum quæ mundana cupiditas superflua vocat, sed omnes potius contrarium expriment vel satis insinuant. *Quomodo potueris, inquit Tobias, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Tob. 4. Consonant hæc S. Augustini: *Quidquid excepto victu mediocri, & vestitu rationabili superfuerit, non luxuria reservetur, sed in thesauro cælesti per eleëmofynam pauperum reponatur. Quidquid enim nobis Deus plusquam opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos aliis erogandum transmissit.* Serm. 219. dd temp. Item in Psalm. 147. *Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus. Nam si inania quaramus, nihil sufficit. Fratres quarite quod sufficit operi Dei, non quo sufficit cupiditati vestra. Forma uestra, corpus vestrum, anima vestra, hoc totum opus Dei. Quere qua sufficiant, & videbis quàm pauca sint.* Nec attendendum solum quibus carere quis possit, sed etiam quantum proximum indigeat; ut quo major hujus indigentia, eo plura tibi substrahere debeas etiam quandoque cum notabili tuo incommodo dum ita exigit majus incommodum illius quem sicut nos ipsos diligere debemus. Quæ lex non solum ad cælibes, sed etiam ad conjugatos, Patres quoque ac Matres familias (proportione servatâ) extendenda est. Confectarium hinc est quod non possit quis, attentâ hâc lege charitatis, bona sua pro libitu expendere, aut quibus vult donare, vel testamento relinquere; neque enim præceptum de eleëmofynis largiendis minis obligat morientem quàm viventem; imò obligat magis, saltem eo titulo quod ipse tunc suis indigeat minus. Hactenus dicta specialius obligant Ecclesiasticos, maxime illos qui ex bonis Ecclesiæ vivunt, siquidem bona ista singulari & arctiori titulo pauperibus debentur, dum necessariæ ministrorum sustentationi supersunt: nec tamen illicitum est ut beneficia Ecclesiastica acceptent divites, dummodò quæ ex bonis Ecclesiæ & aliis ex. gr. patrimonialibus simul sumptis supersunt, pauperibus largiantur. Ad utrumque præ Laicis & Ecclesiasticis aliis ex solo patrimonio viventibus, arctius obligantur.

CONCLUSIO DECIMATERTIA.

Reproducuntur in compendio quadam ex argumentis, pro scopo harum Thesum ante allegatis.

Manifestum est quod Lovanienses pro 65. Propositionum condemnatione obtinendâ egerint, eamque reipsa impetraverint; unde & pro illa jam obtentâ Sanctissimo D. N. Innocentio XI. his verbis gratias egerunt: *Sacra Theologia Doctores à Theologica Facultate Lovaniensi deputati ad Apostolicam Sedem, summas Sanctitati vestrae debent & agunt gratias pro diuturnis aded & molestis laboribus, quos vestra Apostolica sollicitudo fuit dignata propositis per ipsos ex morali Christianâ articulis impendere. Certè non soli præfata Universitati, sed*

sed toti Christiano orbi contulit incomparabile beneficium, &c. Hæc Deputati dum unâ Censuram Lovaniensem cum sua Justificatione Sanctitatis suæ judicio subjecerunt. Adversarii è contrâ, prout ex *Memoriali Hispanico & Specimine* ante dictis certissimè constat, laboraverunt ac institerunt, ne illarum Propositionum ulla ad sollicitationem Lovaniensium proferberetur: ergò non Lovanienses sed potius Adversarii per Decretum 65. Propositionum sunt condemnati. 2. Ex horum doctrinâ quâ docent quod non oporteat ut semper vivamus ex charitate, ac proinde liceat ut ex cupiditate, non pauca illarum Propositionum sunt nata. Per aliam eorundem doctrinam quam veluti principium sibi statuerunt, de usu scilicet probabilium, Propositiones istæ sunt confirmatæ. Ex alia illorum fundamentali maximâ, quod scilicet gratia sufficiens omnibus etiam scelestissimis & nihil de Deo cogitantibus semper adsit, quædam illarum Propositionum nata, quædam stabilitæ videntur, dum præcepta Dei eo usque emolliuntur, enervantur & inflectuntur, ut homines sic indispositi sine ulteriori Dei auxilio iis adimplendis tandem sufficiant. Ex tribus famosissimis Lovaniensium principiis de Deo ut sine cordis & actionis, ut morum regulâ, & principio effectivo ratione gratiæ per se efficacis, propositiones condemnatæ nec nasci, nec stabiliri potuerunt, quin potius per ea, ac potissimum per primum destruantur. Ergò non Lovanienses, sed potius Adversarii per Decretum 65. propositionum sunt condemnati. 3. Propositiones 65. non sunt conformes Scripturæ Patribus ac potissimum Augustino, quorum lectionem plurimum commendant Lovanienses, sed recentioribus quibusdam Theologis ac Casuistis, quorum lectionem mirè commendant Adversarii. Non ergò Lovanienses, sed potius Adversarii per Decretum 65. propositionum sunt condemnati. 4. Toti mundo notum est, quod Lovanienses ab Adversariis non de nimia laxitate, sed de intolerabili, ut aiunt, rigore accusentur: nunc autem manifestum est omnibus nullam 65. propositionum esse proscriptam propter nimium rigorem, sed omnes, nullâ exceptâ, ob nimiam laxitatem. Non ergò Lovanienses, sed potius Adversarii per Decretum 65. propositionum sunt condemnati. His omnibus, quæ adeò manifestè probant, non obstantibus, ausi fuerunt Adversarii asserere quod Lovanienses sint condemnati; & reipsa id persuaserunt integris corporibus & singularibus personis quam plurimis, idque in re adeò de se palpabili, peractâ in Theatro orbis, & concernente tot personas, omnes scilicet Theologos Lovanienses. Colligat hinc Lector quæ Fides illis adhibenda sit, circa quædam magis obscura, vestita circumstantiis minus conspicuis, persuasa personis sibi devotis, & concernentia Lovaniensium paucos præ aliis sibi invisos.

P E R T I N E N S.

I.

Contentionem notissimam inter duas mulieres diremit Salomon pronuntiando, quod *viva prolis Mater foret quæ prolem nolebat occidi: quidni pari ratione dicamus, quod propositionum 65. illi sint Matres, vel si malis, Authores, qui in nupera apud S. Sedem contentione eas nolebant condemnari?*

II.

Lesius dicit: potes in operando relictâ sententiâ, quam judicas probabiliorem, ordinariè sequi eam, quæ videtur minus probabilis, modò tamen vere sit probabilis, sive ea tutior sit, sive minus tuta... Ex his sequitur, inquit, posse nos sequi opinionem probabilem contra propriam sententiam, quam putamus probabiliorem. Frustra ergò laborat Lesius operosè discutiendo plurimos casus, in quibus hi asserunt,
illi;

illi negant licere sequelam opinionis alienæ minus probabilis ac minus uræ: nam eo ipso quo Lessius fatetur probabilem, fateri cogitur licitum esse quod velut illicitum exterminare conatur. Sed quomodo Lessius cum sua illa sententia de usu probabiliū conciliat illam quæ docet ad rectè agendum requiri iudicium prudens, moraliter evidens & certum?

I I I.

Quisquis censet, ad probabilitatem extrinsecam sufficere quemdam numerum certorum Authorum, eo ipso quo fatetur pro opinione stare istum numerum talium Authorum, fateri cogitur illam esse probabilem, etsi eam velut improbabilem exterminare conetur.


I V.

Contra veram Germanamque & practicam probabilitatem nihil solidi ex Scripturis, nihil ex Decretis Alexandri VII. & Innocentii XI. nihil ex Patribus, aut antiquis Scholasticis affertur, inquit Author *Thesum defensarum* 12. Iulii. Assertionem hanc quoad singulas partes destruere conabimur, ubi clarius dixerit quid ad VERAM GERMANAMQUE ET PRACTICAM SUAM PROBABILITATEM requiri ac sufficere sentiat.

FINIS.














Theles
Doctorū
Academia
Lovan.

Th

2170